



**SIGISMUNDVS** Malatesta Arimini princeps, Pandulphi Malatestæ filius spurius, bellicosus admodum, splendidus & liberalis fuisse perhibetur: interim tamen multis flagitiis inquinatus turpi nota nomen suam inussit: ideóq; diris & armis Pontificum obnoxius fuit. Hic tres duxit vxores, primam Crimignolæ comitis filiam, quam mortuo patre repudiauit: cùm tamen dotem ex ea amplissimam percepisset: Secundam Nicolai Estensis, Ferrariæ principis filiam, generosam ac probam: hanc nihilominus paulò post veneno sustulit: tertiam Francisci Sfortiæ filiam, præclaram & modestam, quam tandem propriis etiam manibus, vt mensuram scelerum suorum impleret, apprehenso ac fortiter presso iugulo suffocauit. Vide Supplem. Chro. li. 15.

**ROBERTVS** Malatesta Sigismundi filius, etiam nothus, patri in principatu Ariminensi succedit, anno mundi 5428. à Christo nato 1466. Fuit hic moribus patri dissimilis, belli etiã artibus, & præclaris rebus gestis ornatissimus. pro Venetis, sub quorum stipendiis diu militauit, varia mortis pericula adiit. Cum Galeatio Mediolanensium Duce, & Florentinis suas coniunxit copias, & oppida omnia quæ Pontifex patri in Ariminensi agro ademerat recepit. Hic Alfonso Calabriae Ducem, alioqui fortissimum vicit, ac fugauit: quo in bello, præ ardore pugnae nimio, in dysenteriam incidit, nec ita diu, hoc dolore correptus, superuixit. habuit in vxorem Elisabetam, Urbini Ducis filiam. Vide vt supra.